

LIBER II PSALMORUM

SECUNDUM HEBRÆOS.

USQUE AD PSALMUM LXXII.

De filiis Coræ. — Coræ, pronepote Levi, principe conjurationis contra Moſen, a terra abſorpto (*Num. xvi.*), ſervati fuerunt filii ejus tres (*ibid. xxvi. 14*). Ex horum poſteris fuerunt quidam cum aliis Levitis a Davide ad decantandum ſacros hymnos conſtituti, et inter eos Heman, præcipuus cantorum princeps (*I Paral. vi. 33 ſeqq. ix. 19; xxvi. 1; II Paral. xx. 19*). His undecim Psalmi inſcripti leguntur; ſed incertum eſt, an ideo, quod ipſi eorum Pſalmorum auctores ſint, an quod ſolum per eos fuerint decantati. Prior ſententia nobis præplacet, ob rationes ſequentes : a) Si ab aliis dictati eſſent hi Psalmi, alicubi auctorum nomina legerentur adſcripta, ſicut ſupra *Psalm. xxxix* titulum habet *Jeduthani, carmen Davidis*, ut per ordinem Jeduthani decantatum, et a Davide agnoſcas editum. b) Auctor lib. *I Reg. iv. 31*, volens prædicare ſapientiam Salomonis, qui ſpiritu carmina pangendi fuerit præditus, confert eum nominatim Ethani, Heman, Calcal et Dardai : hinc ſatis aperte colligitur, Hemanem, Coraitam, alioſque Coraitas, quos Davides ſacris præferat cantionibus, eodem ſpiritu valuiſſe. c) Denique quotquot inter Pſalmos Coraitarum præſcriptum habent nomen, a Davidicis carminibus tum ſtylo concitati, tum quibusdam locutionibus et dictionibus, tum frequentiori uſu nominis *Elohim* pro *Jova* differunt. Porro, admiſſa hac ſententia, inſuper tenendum eſt, filios Coræ in multis ſuis Psalmis non tam ſua ipſius, quam ſub Davidis potius perſona canere.

PSALMUS XLII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. *In finem, intellectus filiis Core.*

2. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.

3. Sitiit anima mea ad Deum fortem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

4. Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus?

5. Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei :

In voce exultationis, et confessionis, sonus epulantis.

6. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, 7. et Deus meus.

Ad me ipsam anima mea conturbata est; propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermonim a monte modico.

V. s. h. — *Victori doctissimo [h. erudito] filiorum Core.*

Sicut areola præparata ad irrigationes aquarum : sic anima mea præparata [*h. desiderat*] ad te, Deus.

Sitiit anima mea ad Deum fortem [*al. fontem*] viventem : quando veniam, et parebo ante faciem Dei.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes per diem ac noctem, cum diceretur mihi tota die : Ubi est Deus tuus?

Horum recordatus sum, et effudi in me animam meam, quia veniam ad umbraculum.

Tacebo usque ad domum Dei in voce laudis et confessionis, multitudinis *Æſta* celebrantis.

Quare incurvaris, anima mea, et conturbas me?

Expecta Deum, quia adhuc confitebor ei salutaribus vultus ejus.

Deus meus, in meipso anima mea incurvatur : propterea recordabor tui de terra Jordanis et Hermonim de monte minimo.

PSALMUS XLI.

271

8. Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui super me transierunt.

9. In die mandavit Dominus misericordiam suam, et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ.

10. Dicam Deo : Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei? et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

11. Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies : Ubi est Deus tuus?

12. Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.

Abyssus abyssum invocat, in [*h. ad*] vocem cataractarum tuarum : omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt.

Per diem mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte canticum ejus mecum : oratio Deo vitæ meæ.

Dicam Deo : Petra mea [*h. Et salet*, quod interpretatur, *Deus petra mea*, et est unum de nominibus Dei], quare oblitus es mei : quare tristis incedo, affligente inimico?

Cum me interficerent [*al. interfecerint*] in ossibus meis, exprobraverunt mihi hostes mei, dicentes ad me tota die : Ubi est Deus tuus?

Quare incurvaris, anima mea, et conturbas me : expecta Deum, quoniam adhuc confitebor ei, salutaribus vultus mei et Deo meo.

Argumentum. — Maurero arridet hodiernorum sententia Psalmum esse elegiam sacerdotis, fortasse summi (vers. 3), qui exsul procul a sacris tersaretur inter barbaros. Sed nil impedit quin eam Davidicis temporibus, ipsoque Davidi Hierosolymis prodigo, orta solitione filii Absaloni, referamus. Cf. *II Sam. vi. 14; xv. 26; xvii. 22* seqq. Quæ avidis fuga occasione fuisse videtur Coraitis, ut plures Psalmos, v. g. *Ps. lxxix*, hæc de re componeret, in quibus regis summo opere afflicti questus et preces exprimerent, atque ea carmina vel ipso illo tempore, vel postmodum, in illarum calamitatum memoriam, inter sacra decantarent. Strophe due : vers. 2-6, ardentissimum quo flagret desiderium sacrarum; vers. 7-12, que patitur, adversariorum ludibrium et afflictio. Cf. argumentum Psalmi seq.

1. Præcentori, carmen Coraitarum.

2. Quemadmodum cervæ desiderat rivos aquarum, sic anima mea desiderat te, Deus.

3. Sitiit anima mea Deum, Deum vivum; quando veniam et comparebo coram facie Dei?

4. Sunt mihi lacrymæ meæ cibus diu noctuque, dum dicunt ad me quotidie : « Ubinam est Deus tuus? »

5. Illud reminiscor, et effundo animam meam in me, quod incedebam in (alii, *cum*) densa turba, lente ducebam eos ad domum Dei, cum voce jubili et laudis, multitudinem festum agentem.

6. Quid te deprimis (deprimeris), anima mea, et infremis in (sen *apud*) me? Spera in Deum, nam adhuc celebrabo eum, salutem faciei meæ, et Deum meum.

7. In me anima mea deprimitur : ideo reminiscor tui de terra Jordanis, et de Hermonibus, de monte Mizar.

8. Fluctus fluctum advocat ad strepitum cataractarum tuarum; omnes fluctus tui et undæ tuæ super me transeunt.

9. Interdum demandat (ad me) Jova gratiam suam (quasi famulam), et noctu canticum ejus mecum est, hymnus ad Deum vitæ meæ.
10. Dicam Deo petrae meæ: « Quare oblitus es mei? quare atratus (lugens) incedo opprimente hoste? »
11. Cum contritione in ossibus meis conviciantur me adversarii mei, cum dicunt ad me quotidie: « Ubi est Deus tuus? »
12. Quid deprimeris, anima mea, et infremis in me? spera in Deum, nam adhuc celebrabo eum, salutem faciei meæ, et Deum meum.

NOTE.

— Vers. 2. *Desiderat*: Rosenmullerus, *glociat* sitiunda. — Vers. 3. *Facie Dei*, in sacro tabernaculo. — Vers. 4. Cf. Ovid. *Metamorph.* lib. X, 288:

Cara dolore animi lacrymaque alimenta fuerat.

— Vers. 5. Non sine lacrymis vates illud tempus memorat, quo ipsi licuerit sacris Jovæ interesse. *Illud*, scil. quod, vel quomodo. *Effundere animam* est non coercere animi affectus, dolori laxare habenas. *Lente ducebam eos*, propr. *lente incedebam vis*. *Multitudinem* appositione coheret cum *eos*. *Festum agentem*: cogitat vates de solemnium pompa ipso duce ad templum procedentium. Nonnulli *illud*, sub versus initio, ad insultationes improborum referunt. — Vers. 6. *Salutem* rō eum apponitur. *Mea*: ita legendum cum veteribus. *Sensus*: *Salutem* in quam semper prospicio, quæ semper mihi ante oculos est. *Ewaldus faciei* interpretatur *capitis*, i. e. in maximis periculis. — Vers. 7. *Ideo*, propter nexum. *Alii*, propterea quod. *Hermionibus*, in plurali, ut Alpes, Apennini, quia montana sunt, non unicus mons, sed longe exposita montium juga. In montium illorum radicibus erant Machanaim, ubi commoratus est Davides in exilio Absalonico, II Sam. xvii, 24. — Vers. 8. *Fluctus*, etc. i. e. calamitas calamitatem sequitur. Ut in fluminibus torrentibus non ante prior gurges deluxit, quam alter influat, adeo ut prior sequentem, ut veniat, vocare, et sequens priori, quasi advocatus, occurrere videatur: ita noster queritur calamitatibus et ærumnis tam multis premi, ut finis nullus esse videatur, sed aliæ nascantur ex aliis, et uni recedenti succedat altera. *Ad strepitum*, strepitibus cataractis, etc. Huic ærumnarum quibus prematur vates, imaginis, cæteroquin valde usitate, haud improbabile est occasionem dedisse montium factam mentionem vers. 7. — Vers. 9. *Interdum et noctu* ad utrumque membrum pertinent, hoc sensu: *continuo*. *Canticum*, cantici materia et causa. *Hymnus*, puta gratiarum et laudis; alii, *precatio*. *Vitæ meæ* tum auctorem, tum servatorem. — Vers. 10. *Petra*, qui est petra mea. — Vers. 11. *Cum contritione*, i. e. tanquam si ossa mea frangerentur, etc.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLI.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem, intellectus filius Core.

Titulus admonet filios Core, quibus dabitur Psalmus cantandus, ut intelligant quæ canunt, ut et auditores intelligere faciant: quæ admonitio cantoribus Ecclesiasticis memorie commendanda est: cantus enim in Ecclesia spiritali deservire debet, et non solum aurium oblectationem. Et sicut qui intelligenter et devote canunt, animos audientium rapiunt in Deum, ita qui theatralis modulos in Ecclesiam invehunt, de domo Dei scenam mundi faciunt. Vide S. Hieronymum in cap. v ad *Ephes.* Argumentum Psalmi alicui esse voluit, quod David exsul tempore Saulis queratur, se non posse tunc in anno in Jerusalem ad festa Domini accedere; sed tempore Saulis non erat tabernaculum Domini in Jerusalem, sed in Silo, et ad eum locum ibant ter in anno Israelitæ. Præterea tam ingens desiderium, quale hoc loco exprimitur, non videtur posse referri ad tabernaculum manufactum et arcam ligneam. Propterea Psalmi argumentum esse putamus, ut SS. Patres Hieronymus, Augustinus et Chrysostomus docent, quod David

PSALMUS XLI.

amore divino succensus exprimere conatur vehementer desiderium, quo tenebatur, perveniendi ad visionem quæ est vera et sempiterna felicitas, cum tamen inter tentationes et pericula peregrinationis viveret. Sed dum desiderium suum exprimit, simul docet quæ sint argumenta, unde verus Dei amor possit agnosci.

EXPLICATIO PSALMI.

1. QUEMADMODUM DESIDERAT CERVUS AD FONTES AQUARUM, ITA DESIDERAT ANIMA MEA AD TE, DEUS.

Amor res est igneæ naturæ, ac per hoc intus retineri non potest, sed per verba et suspiria foras erumpit. David igitur, ut animam suam aliquo modo exprimat, comparat se cervo sitiundo, dicens: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, » videlicet pervenire, « ita desiderat anima mea pervenire ad te, Deus; » quæ aptissima similitudo est; cervus enim quatuor habet qualitates: primum, inimicissimus est serpentibus, atque cum eis perpetuum bellum gerit; deinde, cum a venatoribus quaeritur, ad montes altissimos velocissimo cursu confugit; tum mandatum illud Apostoli *Galat.* vi: « Alter alterius onera portate, » ab instinctu quodam nature observat: nam, ut scribit S. Augustinus, tum hoc loco, tum serm. 21 *De verbis Apostoli*, traduntur cervi, vel quando in agmine suo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, unera capitum suorum super se invicem ponere; denique si quando vel ex pugna cum serpentibus, vel ex fuga ad montes, vel ex deportatione oneris ambulando, vel natando fatigatur, ardentissime sitire solet aquas, neque ab eis inquirendis ulla, vel tenetur amenitate pratorum, vel terretur difficultate viarum. Talis omnino est amator Dei; nam et cum serpentibus carnalium cupiditatum bellum perpetuo gerit; et cum tentationibus, vel persecutionibus premitur, ad montem contemplationis fugit, et infirmorum molestias patienter tolerat, sed præcipue summo desiderio Deum silit, neque ulla terrena felicitate, vel adversitate impeditur, quominus ad Deum semper anhelet. Talis erat David, quamvis miles; talis Paulus, talis Petrus, tales apostoli cæteri et martyres, tales omnes qui exilium agnoscentes, sive per prospera, sive per adversa gradientes cursum ad patriam nunquam relaxabant.

2. SITIVIT ANIMA MEA AD DEUM FORTEM VI-
VUM: QUANDO VENIAM ET APPAREBO ANTE FACIEM
DEI?

Declarat apertius, quid sit desiderare Deum, et simul aperit cur tantopere desiderandus sit Deus. Tria sunt, ut Chrysostomus annotavit, quæ amorem, ac per hoc sitim et desiderium accendere solent, pulchritudo, beneficia et amor; nam et res pulchre amari se quodam modo cogunt, et qui beneficia præstant, ad se amandos provocant, et qui amant redamari merentur. Sed si hæc tria in unum conveniant, id est, si persona aliqua pulcherrima et nobilissima, te summis et quotidianis

afficiat beneficiis, et eundem te maxime faciat, to- que ardentissime amet, quomodo non veneremur- tissimam in tuo pectore flammam amoris accen- det? Hæc igitur tria in Deum convenire David hoc loco docet, et ideo sitire se Deum, id est, amorem et desiderio ejus ardere se dicit. « Sitivit, inquit, anima mea ad Deum, » id est, ad rem pulcherrimam, nobilissimam, præstantissimam, quæ bona omnia in se una complectitur. *Fortem*, id est, ad rem non fluxam et caducam; sed stabilem, permanenter, æternam. *Vivum*, id est, ad rem operantem intelligentem, amantem, que nos continuis beneficiis afficit, que nos magni facit, que- que nos incredibili amore diligit. Hæc ergo sitis in rem tam bonam, tam beneficam, tam mei amantem, cogit ex toto corde dicere: « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » id est, quando finis erit peregrinationis; quando initium fructuosus? *Ex hebreo* clarius verti posset: *Quando veniam et videbo faciem Dei?* id enim solum est, quod sitis anime rationalis explere potest.

3. FUERUNT MIHI LACRYMÆ MEÆ PANES DIE AC
NOCTE, DUM DICITUR MIHI QUOTIDIE: UBI EST DEUS
TUUS?

Qui vere et intime cogitat tria quæ diximus videlicet, Deum esse supra omnem speciem pulchrum, et omnia quæ nos habemus ab illo, ut a fonte manare, et eundem ipsum tanti nos estimare, atque ita nos diligere, ut Filium suum unigenitum pro nobis dederit: fieri non potest, dum lacrymis desiderii opprimatur, dum visio tanti boni differret. David igitur, qui ista serio contem- plabatur, recte adjungit: « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, » id est, lacrymis, quasi panibus, sustentabar assidue per dies et noctes, id est, toto tempore hujus peregrinationis, vel per dies prosperitatis et noctes adversitatis; nam renuit anima consolari terrena felicitate, nec minus renuit contristari terrena adversitate; sed utroque tempore lacrymæ meæ fuerunt mihi ci- bus et potus, « dum dicitur mihi quotidie » ab impiis et incredulis: « Ubi est Deus tuus ad quem sitis? cui suspiras? cur diligis, quem non vides? sed posset etiam sic exponi, *dum dicitur mihi quoti- die, ubi est Deus tuus,* » id est, dum quotidie per circumcillum omnia lustrò quaerens quem diligit anima mea, et dicitur mihi a spiritu meo, a cogitatione mea: « Ubi est Deus tuus? » hæc enim omnia quæ contemplando perultrasti, opera sunt Dei, pulchra quidem omnia, sed non sicut Deus tuus. Ubi est igitur Deus tuus? ubi quaeres, ut invenias? Quando vemes, et videbis faciem Dei tui?

4. HÆC RECORDATUS SUM, ET EFFUDI IN ME ANIMAM MEAM, QUONIAM TRANSIBO IN LOCUM TABERNACULI ADMIRABILIS, USQUE AD DOMUM DEI.

Pergit in explicando desiderio suo: «Hæc, inquit, recordatus sum,» quæ dicta sunt de inquisitione Dei, «et effudi in me animam meam.» Hæc effusio tribus modis accipi potest. *Primo*, ut sensus sit: «effudi in me animam meam,» id est, evacuavi apud me animam meam omni terrena delectatione, ut intraretur tabernaculum admirabile et ipsam domum Dei, implem eam delectationibus Domini mei. *Secundo*, ut sensus sit: «effudi in me animam meam,» id est, dilatavi animam meam, extendi desiderium meum, ut capax esset tanti boni, quantum inveniet in tabernaculo illo admirabili, ubi est ubertas indeficiens domus Domini. *Tertio*, ut sensus sit: «effudi in me animam meam,» id est, effudi super me animam meam, transcendendi contemplando ipsam animam, quomodo dicitur *Thren.* iii, 28: «Sedebit solitarius, et tacebit, quoniam levabit supra se.» Vere enim nulla est in hac peregrinatione scala aptior ad attingendum aliquo modo tabernaculum admirabile et ipsam domum, ubi videtur Deus, quam anima nostra quæ est imago Dei: ipsa enim est sublimior celo et profundior abyso; et qui animam suam contemplari novit, ac deinde eam transcendere, et per eam ad exemplar ascendere didicit, is pertransibit ad locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Ac, ut breviter hunc ascensum attingamus, anima spiritus est, ac per hoc longe transcendit omnia corpora: sic igitur et Deus spiritus est et spirituum corporumque creator; proinde longe transcendit, non solum corpora, sed etiam spiritus. Deinde anima simplex et indivisibilis cum sit, tamen in toto corpore est, et in singulis partibus tota, omnia membra replens, et nullum occupans locum: sic igitur et Deus unicus et simplicissimus, atque indivisus est, et tamen mundum totum et res creatas omnes replet, ubique totus, ubique presens, nusquam inclusus. Tertio, anima non movetur in corpore, et totum corpus portat, movet, regit, vivificat atque sensibilat, quod in morte cognoscitur: anima enim recedente, corpus continuo cadit, et motum, sensum, speciem et quicquid habebat boni in momento amittit: quod autem est anima corpori, id est rerum universitatis Deus, non quod proprie Deus sit anima mundi, ut philosophi quidam sensisse videntur; sed quod similitudinem animæ habere videatur: ipse enim immobilis in se manens, «portat omnia verbo» virtutis suæ, «et in eo vivimus, movemur et sumus.» Quarto, anima intelligens est, et tota intellectus quidem est, eminenter continens cognitiones omnium sensuum, et multa præterea cognoscit, ad quæ sensus corporis nullus attingit: sic Deus totus intellectus est, eminenter continens cognitiones omnium hominum et angelorum, et

infinita præterea, quæ intelligentiam nostram superant. Quinto, anima non solum theoretice multa intelligit, sed etiam practice, atque inde existunt opera ingenii humani plane admirabilia in variis artibus, in edificiis, hortis, fontibus aliisque id genus plurimis, ut sæpe opera artis humane cum operibus nature contendere videantur: sic etiam Deus non solum theoretice, sed etiam practice intelligit, et sine instrumentis, sine labore, et sine spatio temporis, solo nutu atque imperio voluntatis condidit universa. Sexto, anima liberum habet arbitrium, atque inde ad nutum movet corporis membra: sic Deus liberrime dominatur rebus omnibus creatis; unde David ait *Psal.* cxviii: «Omnia serviunt tibi.» Neque solum anima imago Dei est, quoad essentiam, sed etiam (quamvis obscurius, quoad personarum trinitatem: nam in anima est mens intelligens, quasi Pater; est notitia producta, quasi Verbum Patris: est et amor a mente per notitiam productus, quasi Spiritus. Est etiam in anima fecunditas memorie, est intellectus et voluntas, quæ tres divinas personas utcumque representant. Anima igitur supra seipsam effunditur, sequè ipsam transcendit contemplando, ut transire possit ad tabernaculum admirabile; ideo subiungit Propheta: «Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.» Per locum tabernaculi admirabilis, intelligimus coelestem Jerusalem, quæ est tabernaculum non manufactum, æternum in celo, ubi est domus Dei, de qua dixit in *Ps.* xvi: «Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee.» S. Hieronymus ex hebræo vertit *tacebo*, pro eo quod nos habemus, *admirabilis*. Sed Septuaginta Interpretes non legunt *אדיר*, ut nunc habetur in odicibus hebraicis, quod significat *tacebo*, sed legunt *אדיר*, quod significat *admirabilis*, et differentia solum est in duabus litteris similibus, ut ex figura characterum intelligi potest. Facile autem fuit librariis mutare duas litteras in alias similes, et credendum est Septuaginta Interpretes habuisse codices hebraicos meliores quam nos habemus. Alioquin non potuissent vertere *admirabilis*, pro *tacebo*, nisi imperitissimi fuissent.

5. IN VOCE EXULTATIONIS ET CONFESSIONIS, SONUS EPULANTIS.

Declarat Propheta, in illa sua extasi, quæ effudit supra se animam suam, et contemplando pertransivit ad locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, non pertransivisse tacitum, sed exultabundum et laudabundum admiratione. «In voce, inquit, exultationis et confessionis,» adde, pertransibo in locum tabernaculi admirabilis, id est, pertransibo admirans gloriam tabernaculi illius, et ex admiratione prorumpam in vocem exultationis et confessionis, laudis videlicet conditoris illius tabernaculi, quæ vox erit sonus epulantis, id est, vox læta et festiva, quales au-

diuntur in solemnibus et festivis, ac nuptialibus epulis. Neque enim potest animus contemplantis erigi ad considerandam gloriam coelestis Jerusalem, sine admiratione et exultatione maxima. Quod attinet ad verba, illud *sonus* in græco est casus genitivi; et S. Augustinus legit *soni*, ex quo fieri potest ut noster Interpres posuerit *sonus*, pro *sonitus*, genitivi casus; sed potest etiam fieri ut significare voluerit, vocem exultationis et confessionis fuisse *sonum epulantis*. In hebræo, pro *sono*, habetur *חֲבוֹן* *hamon*, quod S. Hieronymus vertit, *multitudinis*; sed vox illa hebraica utrumque significat, *sonitum* et *multitudinem*. Illud autem *epulantis*, tam in hebræo textu, *חֲבוֹן* *choveg*, quam in græco, *ἑσθίωνος*, *festæ celebrantis*, et sic etiam legit Augustinus et Euthymius. Sed videtur latinus Interpres declarare voluisse quale festum illud esset, et dixisse «epulantis,» id est, festum convivii solemnis, quale est nuptiale, in quo multa adhibentur instrumenta musica et cantica amatoria, et habetur vox *epulantis* in Commentario S. Hieronymi in hunc locum, ne quis existimet recens irrepsisse in editionem Vulgatam.

6. QUARE TRISTIS ES, ANIMA MEA, ET QUARE CONTURBAS ME?

7. SPERA IN DEO, QUONIAM ADHUC CONFITEBOR ILLI, SALUTARE VULTUS MEI, ET DEUS MEUS.

Ex illa mentis elevatione et gaudio spirituali consolatur lacrymas suas, dicens: «Quare tristis es, anima mea?» id est, quare lacrymæ tuæ sunt tibi panes die ac nocte, «dum dicitur tibi: Ubi est Deus tuus? quare?» tam inaccessibili fletu «conturbas me?» Spera in Deo, id est, quamvis Deum non videas, quem tu ardentem videre cupis, tamen spera in eo, «quoniam adhuc confitebor illi,» id est, quia nondum tempus præterit, adhuc erit, quodam præsens laudabo Deum, et confitebor misericordias ejus, et dicam illi: «Salutare vultus mei et Deus meus,» id est, tu salus es vultus mei, dum illuminas fulgore tuo vultum meum, et facis ut videat facies me faciem tuam, et cognoscam sicut et cognitus sum, et ex clara notitia dicam: «Tu es Deus meus.» In hebræo habetur, ut etiam S. Hieronymus vertit: *Salutes vultus ejus, Deus meus ad me ipsum*, etc.; sed manifeste corruptus est hoc loco textus hebraicus, et una littera, videlicet *vau*, non suo loco posita totam hanc confusionem peperit. Id quod ex repetitione horum verborum, quæ habentur in fine hujus Psalmi, et in fine Psalmi sequentis perspicuum est. Itaque non est legendum, *אֱלֹהֵי מִנְיָן*, ut hic legitur, sed *אֱלֹהֵי מִנְיָן*, ut legitur in repetitione; et vera lectio hebraica ad verbum hæc est, *salutes vultus mei, et Deus meus*. Dicit autem *salutes* in numero multitudinis, non *salus*, vel *salutare*, quia, licet una sit *salus* nostra, tamen ea multa bona continet, quæ etiam *salutes* dici possunt.

8. AD ME IPSUM ANIMA MEA CONTURBATA EST; PROPTEREA MEMOR ERO TUI DE TERRA JORDANIS, ET HERMONIIM A MONTE MODICO.

Exponit vicissitudines tristitiæ et consolationis suæ: tristitiæ, ex metu et periculis hujus vite; consolationis, ex spe et promissione future. Dicit igitur: «Ad me ipsum anima mea conturbata est,» id est, quamvis dixerim anime mee: «Spera in Deo,» tamen anima mea ad me ipsum respiciens, ad infirmitatem meam, ad modicum lumen et modicas vires que in me sunt, timore magno concutitur, et eo terrore conturbat me. «Propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermonium a monte modico,» id est, propterea, ut huic terrori et conturbationi medicinam faciam, removebo oculos a me ipso, et ad te convertam; et ab hoc Jordane, quem video in hac terra, «memor ero tui,» id est, memor ero fluminis, quod iustificat evitamentum tuum, et torrentis voluptatis tuæ, quæ potantur, qui apud te sunt; et ab hoc monte modico, qui dicitur *Hermonium*, quem ante oculos habeo, «memor ero montis sancti tui,» in quo habitas cum sanctis angelis tuis, et ex hac memoria consolabor animam meam et desiderium meum. Quis proprie sit mons Hermonium, et an diversus sit a monte Hermon, non omnino liquet: tamen verisimile est esse montes diversos, et in diversis locis sitos. Nam, et S. Hieronymus in *Vita S. Paulæ* distinguit hos duos montes, et constat montem Hermon esse montem altissimum, et Hermonium hoc loco dicitur esse modicum. Fortasse igitur Hermonium erat mons aliquis in Galilea non longe a Jordane, cum David hæc duo conjungat.

9. ABYSSUS ABYSSUM INVOCAT, IN VOCE CATACTARUM TUARUM.

10. OMNIA EXCELSA TUÆ, ET FLUCTUS TUI SUPER ME TRANSIERUNT.

Pergit narrare tentationes et afflictiones hujus vite, et utitur metaphora inundationis aquarum, alludens ad magnam diluvium, quod fuit tempore Noe. «Abyssus, inquit, abyssum invocat,» id est, maxima aquarum inundatio, et profunditas super me venit, et alia transeunte alia supervenit, quasi a priore vocata; venerunt autem ista magna inundationes «in voce catactarum tuarum,» id est, in strepitu et sonitu apertionis catactarum coelestium, unde aquarum inundatio descendebat. «Et omnia excelsa tuæ,» id est, omnes gurgites altissimi, et «omnes fluctus tui super me transierunt,» id est, omnis illa inundatio, et universum diluvium super me venit. Alludit, ut dixi, ad diluvium generale, in quo «catactæ corli aperte sunt,» id est, iam ingens pluvia descendit, ac si catactæ aliquæ in celo aperte fuissent, et inde tota illa aqua magno cum impetu descendisset: et ex ea inundatione «in voce cata-

sus, id est, maxima aquarum altitudo et profunditas. Sed hæc metaphora nihil aliud significat, nisi ingentes tentationes, et pericula, quibus divina Providentia sinit exerceri electos suos. Horum autem periculorum magnitudinem soli spirituales viri, qualis erat David, intelligunt, qui norunt multiformes insidias diaboli, et sciunt quanti referat accidere a gratia Dei: atque hæc videtur esse literalis expositio, quamvis repudiandæ non sint piæ nonnullorum expositiones, qui volunt, *abyssus abyssum invocat*, significare: Abyssus miseriæ invocat abyssum misericordie divine. Item, abyssus humanæ malitiæ invocat abyssum divine justitiæ. Item, abyssus secretorum Testamenti veteris invocat abyssum arcanorum Testamenti novi. Item, abyssus cordis humani, quod inscrutabile est, invocat abyssum scientiæ Dei, qui scrutatur renes et corda. Illud solum addendum est, per vocem *invocat* non significari *implorat*, sed *vocat*, ut ex hebraea voce colligitur: est enim sensus, *abyssus abyssum vocat*.

41. IN DIE MANDAVIT DOMINUS MISERICORDIAM SUAM, ET NOCTE CANTICUM EJUS.

Redit ad vicissitudinem consolationis, post narratum, et miro modo amplificatam magnitudinem tentationis: « In die, inquit, mandavit Dominus misericordiam suam, » id est, postquam transierunt inundationes aquarum, et horrendæ ille abyssi, in die prosperitatis « mandavit, » id est misit « Dominus misericordiam, » consolantem et visitantem. « Et nocte canticum ejus, » id est, sed tempore nocturno, tempore, videlicet, tentationis et tribulationis, non cessabit canticum ejus, id est, oratio, et gratiarum actio illi oblata. Id quod clarius explicatur in sequenti versiculo.

12. APUD ME ORATIO DEO VITÆ MEÆ, DICAM DEO: SUSCEPTOR MEUS ES.

Hoc videlicet est canticum nocturnum, oratio secreta, et cordis potius quam oris. « Apud me, inquit, oratio Deo vitæ meæ, » id est, in sinu meo est jugis oratio ad Deum, auctorem vitæ meæ; cui cum fide et fiducia dicam: « Susceptor meus es, » id est, in te confido, ad te confugio, tu me labentem suscipies, tu lapsam eriges.

PSALMUS XLIII

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — *Psalmus David.*

1. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.

2. Quia tu es, Deus, fortitudo meo, quare me

13. QUARE OBLITUS ES MEI, ET QUARE CONTRISTATUS INCEDO, DUM AFFLIGIT ME INIMICUS?

Miratur vicissitudines divine providentiæ in servis suis gubernandis, quasi dicat: Cum tu Deus vere susceptor meus sis, « quare oblitus es mei, » id est, unde hoc accidit, ut tentationes et tribulationes ita me obruant, ut me dereliquisse videaris, cum tu spes mea sis et fortitudo mea? Unde, inquam, accidit, « ut contristatus incedam, dum affligit me inimicus, » cum tu sis protector meus et adjutor meus?

14. DUM CONFRINGUNTUR OSSA MEA, EXPROBRAVERUNT MIHI, QUI TRIBULANT ME INIMICI MEI.

15. DUM DICUNT MIHI PER SINGULOS DIES: UBI EST DEUS TUUS? QUARE TRISTIS ES, ANIMA MEA? ET QUARE CONTURBAS ME?

16. SPERA IN DEO, QUONIAM ADHUC CONFITEBOR ILLI, SALUTARE VULTUS MEI, ET DEUS MEUS.

Non solum, inquit, affligit me inimicus, te vidente et spectante, qui susceptor meus es; sed etiam « dum confringuntur ossa mea, » id est, dum ad summam debilitatem et infirmitatem devenio, ut tentationes vix jam ferre possim, « exprobraverunt mihi inimici mei, qui tribulant me, » dum assidue mihi dicunt: « Ubi est Deus tuus? » id est, illi ipsi, qui me persequuntur et tribulant, exprobraverunt mihi fiduciam, quam in te habeo, quasi frustra in te speraverim: dicunt enim: « Ubi est Deus tuus, quem tu adiutorem et protectorem tuum esse jactabas? Sic legimus exprobratum Tobie: « Ubi est spes tua, pro qua elemosynas et sepulturas faciebas? » et infra: « Manifeste vana facta est spes tua, et elemosynæ tuæ modo apparuerunt, » *Tob. ii*. Sic etiam Christo exprobratum legimus *Matth. xvii*: « Confidit in Deo, liberet eum si vult. » Sic igitur, et David in tribulatione posito, exprobrabant increduli hostes ejus; sed is tamen, quamvis ad horam turbatus et contristatus, se ipse reprehendebat et dicebat: « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus; » quæ sunt explicata in expositione vers. 6 et 7.

V. s. II.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta [*h. immisericoe*], a viro doloso et iniquo salva me.

Tu enim es, Deus, fortitudo mea, quare pro-

repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

3. Emitte lucem tuam et veritatem tuam; ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

4. Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.

5. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

jecisti me? quare tristis incedo, affligente inimico?

Mitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa ducunt me: introducent me ad montem sanctum tuum, et ad tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei, ad Deum lætitiæ exultationis meæ, et confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus.

Quare incurvaris, anima mea, et quare conturbas me? expecta Deum, quoniam adhuc confitebor ei, salutaribus [*al. salutibus*] vultus mei et Deo meo.

Argumentum. — Ita hic Psalmus et argumento et ipsa dictione cum superiore convenit, ut pars illius et tertia stropha, potius quam novus Psalmus putandus sit, præsertim quoniam interlectionem eandem repetat ad calcem, quam superior in medio et ad extremum habet. Quid, quod in ead. 37 a Kennicotto citatis, novemque a de Roseto inspectis, hoc Psalmus cum xlii ita conjunctus sit, ut unum continuum carmen efficiant. Stropha una: rogatio pro liberatione ab hostibus et ad templum reditu.

1. Judica me, Deus, et age causam meam contra gentem non benignam. A viro fraudis et pravitatis eripe me.
2. Nam tu es Deus prasidii mei: quare me respulisti? Quare pullatus incedo opprimente hoste?
3. Mitte lucem (opem) tuam et veritatem tuam; cæ ducant me, et perferant me ad montem sanctum tuum et ad habitationes tuas.
4. Ut adire liceat aram Dei, Deum lætitiæ meæ, exultationis meæ, et celebrem te cithara, Deus, mi Deus.
5. Quid deprimeris, anima mea, et infremis in me? Spera in Deum, nam adhuc celebrabo eum salutem faciei meæ, et Deum meum.

NOTE.

Vers. 2. *Contra*, propr. *pro*, ut stet mea causa. *Non benignam*, impliam; Græci dicunt *ἀνομιαν*. — *Vers. 4. Aram*, cum hostiis eucharisticis, qualia offerre solebant liberati e magnis periculis.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

Psalmus David.

Hunc Psalmum, qui sine titulo est apud Hebræos, et apud Græcos et Latinos nihil habet in titulo, nisi *Psalmus David*, et est quæ appendix, vel potius epitome Psalmi superioris, brevissime declarabitur: Precatur igitur David a Deo liberationem ab inimicis, et simul consolatur se spe future beatitudinis.

EXPLICATIO PSALMI.

1. JUDICA ME, DEUS, ET DISCERNE CAUSAM MEAM DE GENTE NON SANCTA, AD HOMINE INIQUO ET DOLOSO ERUE ME.

Videtur David oppressus fuisse, vel a rege Saule, vel tentatus graviter a daemonibus, a quibus cum non posset refugium habere ad homines, Deum iudicem appellat. A' igitur: «Judica me, Deus,» id est, tu Deus esto iudex meus; non enim habeo ad quem pro iustitia confugiam, nisi ad te. In greco habetur clarus, *επιβή μω, iudica mihī*, id est, sis mihi iudex. «Et discerne causam meam de gente non sancta,» id est, dijudica causam, quæ mihi intenditur a gente non sancta. In hebræo et greco est pulchra allusio nominis ad verbum: hebraice enim habetur, *יָרִיבֵי רִיבֵי רִיבֵי* *riba, ribi*; græce autem *δικασον τω δικω*, quomodo si nos diceremus, *litiga item meam*, vel *iudica iudicium meum*; et quia verba sunt generalia, duplex sensus esse potest in his verbis: Unus, ut petat a Deo, ut non solum sit iudex, sed etiam patronus, quasi dicat: «Judica me,» et, «litiga item meam;» alter, ut declaret quod dixit: «Judica me,» per verba sequentia, «discerne causam meam,» id est, cognosce causam, et iudica iudicium meum, proferens justam sententiam ad meum favorem. Vocat autem *gentem non sanctam*, homines iniquos, crudeles, et sine misericordia, ut vox hebraica manifestat, quæ proprie significat hominem sine misericordia, et patet etiam ex sequentibus: «Ab homine iniquo et doloso erue me;» id est, sic iudica causam meam, ut per hoc iudicium liberer me ab homine iniquo et doloso, id est, a quovis homine iniquo et doloso, vel certe ab aliquo certo homine iniquo et doloso, qui erat princeps gentis non sanctæ, a quo ipse affligebatur.

2. QUIA TU ES, DEUS, FORTITUDO MEA; QUARE ME REPULISTI, ET QUARE TRISTIS INCEO, DUM AFFLIGIT ME INIMICUS?

Hic versiculus est fere idem cum versiculo duodecimo Psalmi superioris, et eundem habet sensum, id est, cum tu, Deus, «sis fortitudo mea,» et ego in tuo adjutorio unice confidam, unde fit ut me repulisse videaris, et ego tanquam a gratia repulsus tristis incedam, «dum affligit me inimicus?» Itaque est quedam familiaris, et ex fiducia in Deum procedens expostulatio, qua queritur se ita a Deo affligi permissum, quasi Deus repulisset eum ab amicitia sua.

3. EMITTE LUCEM TUAM ET VERITATEM TUAM: IPSA ME DEDUXERUNT, ET ADDUXERUNT IN MONTEM SANCTUM TUUM, ET IN TABERNAacula TUa.

Ex hoc versiculo intelligimus Davidem spirituales virum fuisse, ut dictum est in Psalmo

superiore, et sollicitum fuisse de liberatione non tam a malis temporalibus, quam a periculis peccatorum, et amissionis æternæ vite. Ait enim: «Emitte lucem tuam et veritatem tuam,» id est, concede mihi lucem gratiæ et misericordiæ tuæ, et veritatem, ac fidelitatem tuam: ipsa enim «me deducunt» in hac periculosa peregrinatione, et «adducunt in montem sanctum tuum,» ubi cælestis est Jerusalem, «et in tabernacula tua,» id est, in ipsam domum tuam, ubi sunt multæ mansiones, et multa tabernacula pro electis tuis. Per lucem et veritatem S. Augustinus intelligit Christum, qui est lux et veritas. Sed videtur obstrare illud pronomen, *ipsa*, cum dicitur, *ipsa me deduxerunt*, quod habetur expresse in textu hebraico et greco in numero multitudinis. Præterea similis est hæc locutio ei quæ habetur in *Psalm. lvi*: «Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam,» et familiare est Davidi per lucem intelligere gratiam, sive misericordiam, ut *Psalm. lxxvi*: «Deus miserere nostri, et benedicat nobis; illuminet vultum suum super nos, et miserere nostri.» Illa vero, *ipsa me deduxerunt, et adduxerunt*, in hebraico codice habentur in futuro, *ipsa me deducunt, et adducunt*; et quamvis Septuaginta Interpretes et Vulgata editio habeant in præterito, tamen videtur esse positum tempus pro tempore, ut Euthymius annotavit. Sæpe enim Scriptura prophetica, quæ futura sunt, explicat per tempus præteritum ad certitudinem rerum indicandam.

4. ET INTROIBO AD ALTARE DEI, AD DEUM QUI LÆTIFICAT JUVENTUTEM MEAM.

Explicat quid facturus sit in monte sancto et in tabernaculo Dei, nimirum se facturum quod ceteri faciunt, qui in domo Dei habitant, quorum munus est sacrificare sacrificium laudis: «Beati, inquit idem David *Psalm. lxxviii*, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.» «Introibo, inquit, ad altare Dei,» sacrificaturus videlicet sacrificium laudis: omnes enim, qui domum illam ingrediuntur, continuo sacerdotes fiunt, ut ex illis eorum verbis intelligi potest: «Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes,» *Apoc. v*. Nec solum ad altare introibo, inquit, sed etiam introibo «ad ipsum Deum,» id est, coram ipso Deo apparebo, quasi in intimum ejus cubiculum introductus, «ad Deum, inquam, qui lætificat juventutem meam,» id est, qui lætificat novam meam juventutem. Nam in patria «renovabitur sicut aquile juvenis nostra,» ut dicitur in *Psalm. cii*, et ut Apostolus ait *ad Ephes. iv*: «Occurremus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi,» S. Hieronymus vocem *גִּילִי* *ghilī* vertit *exultationem*, pro qua Septuaginta verterunt *juvenc-*

ILLI: SALUTARE VULTUS MEI, ET DEUS MEUS.

tatem. Sed vocabulum hoc rarissime invenitur in Scripturis; et sicut ex auctoritate S. Hieronymi credere possumus significare *exultationem*, ita auctoritate Septuaginta Interpretum credere possumus significare *juventutem*. Quod autem habetur *Daniel. i*, *גִּילִיִּם* *ghilicem*, non significat, ut quidam scripserunt, *juventutem*, sed *similitudinem ætatis*. Sanctus enim Hieronymus pro illa voce posuit, *corvis vestris*, et ex ejus auctoritate Sanctes Paginus in *Dictionary* suo docuit, *גִּילִי* *ghil* significare *similitudinem*. Nemo igitur reprehendere potest Septuaginta Interpretes, vel editionem Vulgatam.

5. CONFITEOR TIBI IN CITHARA, DEUS, DEUS MEUS: QUARE TRISTIS ES, ANIMA MEA, ET QUARE CONTURBAS ME?

6. SPERA IN DEO, QUONIAM ADHUC CONFITEOR

PSALMUS XLIV

SECUNDUM HEBRÆOS.

V. v. — 1. In finem, filiis Core ad intellectum.

2. Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri annuntiaverunt nobis.

Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis.

3. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos; afflixisti populos, et expulisti eos.

4. Nec enim in gladio suo possederunt terram, et brachium eorum non salvavit eos: Sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

5. Tu es ipse rex meus et Deus meus, qui mandas salutem Jacob.

6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

7. Non enim in arcu meo sperabo, et gladius meus non salvabit me.

8. Salvasti enim nos de affligentibus nos, et odientes nos confundisti.

9. In Deo laudabimur tota die, et in nomine tuo confitemur in sæculum.

10. Nunc autem repulisti et confundisti nos, et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris.

11. Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, et qui oderunt nos, diripiebant sibi.

12. Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos.

13. Vendidisti populum tuum sine pretio, et

Explicat clarior quod sacrificium oblaturus sit ad altare Dei, cum venerit in tabernaculum non manufactum, æternum in celis. «Confitebor, inquit, tibi in cithara,» id est, laudabo te confitendo misericordias tuas, justitias tuas, omnia denique mirabilia tuas, et laudabo non solum ore, sed etiam opere; tunc enim optime, et sine ulla discordia, vel repugnantia concordabunt cantus, et «cithara,» id est, voces et opera, quæ duo in hac peregrinatione raro perfecta concordant. Porro cithara meminit etiam Apocalypsis, cum describit laudes Sanctorum in celo, *Apoc. v*: «Habentes singuli citharas in manibus;» et cap. *xiv*: «Et vocem, quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis.» Quæ sequuntur, explicata sunt in fine Psalmi superioris.

V. s. u. — Victori, filiorum Core eruditio.

Deus, auribus nostris audivimus; patres nostri narraverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.

Tu manu tua gentes delesti [*h. exheredasti*, et plantasti eos [*al. eas*]; afflixisti populos, [*al. plebes*], et emisisti eos.

Non enim in gladio suo possederunt terram, neque brachium eorum salvavit eos:

Sed dextera tua, et brachium tuum, et lux vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

Tu es ipse rex meus Deus: præcipe salutibus Jacob.

In te hostes nostros ventilabimus: in nomine tuo conculcæbimus adversarios nostros.

Non enim in arcu meo confidam, neque gladius meus salvabit me.

Quia salvasti nos de hostibus nostris, et eos qui oderant nos, confundisti.

In Deo laudabimur tota die, et nomini tuo in æternum confitebimur. SEMPER.

Verum tu projecisti, et confundisti nos: et non egredieris in exercitibus nostris.

Vertisti terga nostra hosti: et qui oderunt nos, diripuerunt sibi.

Dedisti nos tanquam gregem ad vorandum, et in gentibus dispersisti nos.

Vendidisti populum tuum sine pretio: neque

non fuit multitudo in commutationibus eorum.

14. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro.

15. Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.

16. Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me.

17. A voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis.

18. Haec omnia venerunt super nos, nec oblitus sumus te, et inique non egimus in testamento tuo.

19. Et non recessit retro cor nostrum, et declinasti semitas nostras a via tua.

20. Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis.

21. Si oblitus sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum.

22. Nonne Deus requireret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.

23. Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem.

24. Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiam nostram et tribulationis nostrae.

25. Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinator est in terra venter noster.

Exsurge, Domine, adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum.

Argumentum. — In calamitatibus populi maximis, cum succumberet in multis preliis, et praereteret graviter ab hostibus, has preces fecit auctor Psalmi huius, Coraites, quibus praemittit gloriosam commemorationem summorum beneficiorum, quae Deus in populum Iudaicum contulerit; atque ita implorat opem Dei ardentem et filentem, ut talem, nunc etiam, se Deus praebere velit populo adversus hostes suos et gentes externas, qualem superioribus temporibus semper se ei praebuerit, cum in verae pietatis constanti cultu atque studio eum colerint. «Egregie falluntur, qui quae vers. 23 dicta sunt non nisi Machabaeis temporibus congruere putant. Quae vers. 19 habentur ostendunt, aut in exilio compositum esse hunc Psalmum, aut, quod ob vers. 7 alii probabiliter videri possunt, temporibus quae fuerunt proxima ante exilium, ut quibus iam magna pars Iudaeorum patria essent ejeti.» Hae Maurer. Alter Heustenberg: Dum Davides, ait, gereret bellum in Arabia et juxta Ephraim, Edomitas irruerunt in Palaestinum. Israelitasque plurimos tum occiderunt, tum captivos (vers. 49) conf. I Reg. viii, 46 seqq. Amos, 1, 6, 9, etc., abduxerunt. Haec occasione Coraites quidam hanc precationem fudit. Paulo post Davides, misso Iahu adversus Edomitas, eos in Valle Salis devicit (II Sam. viii, 13), tanquam Psalmum is Ipse cecinit. Ceterum scrophae quinquae: vers. 2-4, tu, Jora, ope tua majoribus nostris adjuisti, victoriam reddidisti eorum arma; vers. 5-9, tuo adjuti auxilio nos quoque prosternimus qui nos opprimunt hostes; vers. 10-17, et tu nos deservisti, victa quippe atque prostrata, patria ejetos, omnibus contumelis affectos; 18-23, nec quod a te defecimus haec mala nobis acciderunt, imo tua causa talia patimur; vers. 24-27, succurre tandem ad extremam miseriam redactis.

1. Praecentori, Coraitarum carmen.

2. Deus, auribus nostris (ipsi) audivimus, majores nostri narrarunt nobis

grandis fuit commutatio eorum [h. et non *fenestrasti* in commutatione eorum].

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et irrisum his qui erant in circuitu nostro.

Posuisti nos similitudinem [h. *parabolam*] in gentibus, commotionem capitis in tribubus [h. *plebibus*].

Tota die contusio [al. *verecundia*] mea contra me, et ignominia faciei meae cooperuit me.

A voce exprobrantis et blasphemantis, a facie inimici et ultoris.

Omnia haec venerunt super nos, et non sumus oblitus tui, nec mentiti sumus in pacto tuo.

Non est conversum retro cor nostrum, nec declinaverunt gressus nostri a semita tua.

Quoniam dejecisti nos in loco draconum, et operuisti nos umbra mortis.

Si oblitus sumus nominis Dei nostri, et expandimus manus nostras ad Deum alienum.

Numquid non Deus investigabit istud? ipse enim novit cogitationes cordis.

Quoniam propter te mortificati sumus tota die: reputati sumus ut grex occisionis.

Consurge [h. *Expergiscere*], quare obdormitas, Domine? vigila, quare projecisti [al. *projectisti*] nos in sempiternum?

Quare faciem tuam abscondis, oblivisceris afflictionis nostrae et inopiam nostram?

Quoniam incurvata est in pulvere anima nostra: adhesit in terra [al. *terrae*] venter noster.

Surge, auxiliare nobis, et redime nos propter misericordiam tuam.

facinus quod fecisti temporibus illorum, in diebus priscis.

3. Tu manu tua gentes (Canaanæas) expulisti (sedibus suis), et plantasti illos (majores nostros);

afflixisti populos, et extendisti illos (majores nostros).

4. Neque enim gladio suo occuparunt terram, nec brachium eorum salvavit eos; sed dextera tua, et brachium tuum, et lux faciei tuæ (favor tuus); nam favebas illis.

5. Tu ipse (idem) rex meus es, Deus: demanda salutes (auxilium) Jacobi.

6. Per te vexatores nostros ferimus (vel *feriemus*); tuo nomine (auspicio) conculcamus insurgentes contra nos.

7. Neque enim in arcu meo fiduciam pono, nec gladius meus servat me.

8. Sed tu salvas nos a vexatoribus nostris, et oses nostros pudore afficis.

9. Deo gloriamur quotidie, et nomen tuum in perpetuum celebramus.

10. Nunc autem (imo vero) rejecisti et contumelia affecisti nos, neque exivisti cum exercitibus nostris.

11. Reverti nos fecisti retro ab oppressore, et oses nostri praedati sunt sibi (facultates nostras).

12. Fecisti nos instar gregis maectandae, et inter gentes dispersisti nos.

13. Vendidisti tuum populum nullo pretio, nec multiplicasti in statuendis pretiis eorum.

14. Fecisti nos contumeliam vicinis nostris, irrisionem et ludibrium incolis (alii, locis; proprie, circuitibus) qui circum nos sunt.

15. Fecisti nos proverbium inter gentes, agitationem capitis inter nationes.

16. Quotidie ignominia mea coram me est, et pudor faciei meae operit me:

17. Propter vocem exprobrantis et conviciantis, propter aspectum hostis et vindictae cupidi.

18. Haec omni supervenerunt nobis, nec tamen oblitus sumus tui, nec fefelli nos (perfide egimus contra) foedus tuum.

19. Retro non cessit (a te) cor nostrum,

nec deflexit gressus noster a semita tua, quod (gall. *pour que*) contrivisti nos in loco canum ferorum et operuisti nos umbra mortis.

21. Si oblitus essemus nomen Dei nostri, et si expandissemus manus nostras ad deum alienum,

22. nonne Deus explorasset (ultione) hoc?
nam novit ipse recondita cordis.
23. Sed propter te occidimur quotidie,
reputamur ut grex mactandus.
24. Evigila! quare obdormis, Domine?
Expergiscere! ne rejicias nos in perpetuum.
25. Quare faciem tuam occultas,
oblivisceris afflictionis nostræ et oppressionis nostræ?
26. Nam depressa est anima nostra ad pulverem,
adhæret terræ corpus (propr. *venter*) nostrum.
27. Surge in auxilium nobis,
et redime nos propter bonitatem tuam.

NOTE.

Vers. 2. *Nobis factus* quod: alii, *nobis: Factus fecisti*, etc. *Factus*, mirabilia tua in eorum gratiam, quæ mox enarrantur. — Vers. 9. *Deo gloriamur*; Ewaldus, *von Gott lobsinget*, i. e. *de Deo laudem canimus*. Aliis affix. ☐ laudis objectum indicat. — Vers. 10. *sp̄*, gall. *quod donec*, et *opres ceta*. — Vers. 11. *Ab*, paragog. — Vers. 13. *Multiplicasti*, quod Galli dicunt *l'enchère*, seu, *vous n'avez pas été loin*; alii, *nece magni fecisti*, scil. populum; alii, *neque ausisti res tuas pretiis eorum*: *Prov. xxii, 16*. — Vers. 16. *Proverbium*, ut in proverbium inter eos abiret summe probrosa nostra conditio. — Vers. 20. *Locus canum ferorum* sunt terræ terrore ac sterilitate deformes, aut ab hostibus in solitudinem reductæ; alii: in servitute inter crudeles gentes. *Pro canum ferorum* alii vertunt *draconum*. *Operivisti*, propr. *super nos cum umbra mortis*, instar eorum qui in solitudine quadam horrida noctu oberant. — Vers. 21. *Si*: alii, *vi majori, nequamquam unquam oblitis sumus...* — Vers. 23. *Tantum abest, ut e contra*, etc. Hæc bene conveniunt Ezechie regis et Sennacherib temporibus. — Vers. 27. *Ezerahab* pro *ezrah*, *ah* in *ah* mutato, cum ☐ paragog.

BELLARMINI EXPLANATIO.

PSALMUS XLIII.

TITULUS ET ARGUMENTUM.

In finem filius Core ad intellectum.

Titulus hujus Psalmi nihil differt a titulo Psalmi xi, nisi quod in eo vox *intellectus* præponitur, hic postponitur. Ibi erat *intellectus filius Core*, hic est, *filius Core intellatus*, ut est in hebræo, vel *ad intellectum*, ut est in græco et latino. Et fortasse nullam est in hac transpositione mysterium. Fortasse etiam vox *intellectus* proposita significabat in eo Psalmo deplorari calamitates præteritas, vel presentes; in hoc autem postponitur, quia deplorantur calamitates futuræ longe post tempora Davidis: conveniunt enim SS. Patres hunc Psalmum continere prædicationem rerum, quæ post tempora Davidis contingerunt; et Græci quidem, ut Chrysostomus, Theodoratus et Enthymios docent, Psalmum huic cautari in persona Machabeorum, qui gravissimas calamitates ab Antiocho, aliisque regibus Syria, vel Aegypti passi sunt. Latini vero, ut Ambrosius, Hieronymus et Augustinus, volent in hoc Psalmo exprimi voces SS. Martyrum, qui crudelissimas persecutiones a Romanis Imperatoribus pertulerunt. Sed conciliari possunt hæc Patrum sententiæ, si dicamus Psalmum præsentem ad utroque pertinere, ad Machabeos et ad Christianos: similes enim persecutiones utriusque passi sunt, et propter causam eandem, propter confessionem videlicet, et legem ejusdem veri Dei. Sic enim hic Psalmus non solum pertinet ad martyres, qui tempore Neronis passi sunt, sed etiam ad eos, qui tempore Diocletiani, qui plus ducentis annis fuit Nerone posterior: sic etiam pertinere potest ad martyres, qui sub Antiocho Epiphane decertarunt, qui ducentis circiter annis Nerone præcessit.

EXPLICATIO PSALMI.

1. DEUS, AURIBUS NOSTRIS AUDIVIMUS; PATRES
NOSTRI ANNUNTIARUNT NOBIS.
2. OPUS QUOD OPERATUS ES IN DIEBUS EORUM
ET IN DIEBUS ANTIQUIS.

Incipit populus Dei in persecutione positus, et pro afflictione gemens commemorare magnalia, quæ Deus pro fidelium suorum defensione alligando fecit, et mirari cur nunc eosdem fideles suos dereliquisse videatur, ut hac commemoratione et admiratione Deum ad misericordiam flectat. Sed ideo præmisit in titulo David hic intellectu opus esse, quoniam Deus non mutatur, sed medicinam pro tempore mutat, prout populo suo egrotanti convenire judicat. Deus, inquit Propheta in persona Ecclesie, vel martyrum utriusque Testamenti, « auribus nostris audivimus. » Hic: autem *auribus nostris*, cum satis fuisset videretur dicere, *audivimus*, vel *auribus audivimus*, ad majorem certitudinis expressionem: quo modo S. Joannes scribit inilio primæ epistolæ: « Quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contractaverunt; » videbatur satis fuisse dicere, *quod vidimus, et contractavimus*; sed magnam habet vim ad significandam certitudinem exploratam, illud *oculis nostris, manibus nostris*. Ita igitur hoc loco dicunt: « Auribus nostris audivimus, » id est, nos ipsi audivimus. Addunt continuo unde audiverint; ac dicunt: « Patres nostri annuntiaverunt nobis, » id est, non accepimus incerto rumore ab hominibus ignotis, sed ipsi patres nostri, viri fide dignissimi, qui nos filios suos nunquam decessissent, ipsi, inquam, « annuntiaverunt nobis. » Quid autem audiverint a patribus explicant, cum addunt: « Opus, quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis, » id est, annuntiantibus patribus audivimus mirabile opus, quod fecisti in diebus eorum, ipsis videlicet videntibus; et etiam « opus, quod fecisti in diebus antiquis, » quod patribus suis narrantibus ipsi patres nostri audiverunt. Non multum refert, quod in hebræo non habetur *et*, unde aliqui exponunt: In diebus eorum, qui sunt dies antiqui.

3. MANUS TUA GENTES DISPERDIDIT, ET PLANTASTI EOS; AFFLIXISTI POPULOS, ET EXPULISTI EOS.

Explicit in particulari unum ex operibus mirabilibus, quod Deus fecit pro fidelibus suis in diebus patrum, ac dicit: « Manus tua gentes disperdidit, » id est, potentia tua disperdidit ex terra promissionis gentes Chananæorum et Jebusæorum, quæ in illa habitabant; « et plantasti eos, » id est, et gentibus illis eiecit, plantasti patres nostros in illa ipsa terra. « Afflixisti populos, et expulisti eos, » id est, disperdidit illos manus tua, quia afflixisti gravissimis preliis populos illorum gentium, et tandem devictos expulisti, ut locum darent populo tuo. Ex hoc loco intelligimus, quod supra dictum est: « Patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, » non esse accipiendum de narratione immediata, sed mediata, id est, mediante successione filiorum: quod enim hoc loco narratur, factum est tempore Mosis et Josue;

non potuit autem Moses, vel Josue, id narrare per se Machabeis, aut Apostolis, neque Davidi, qui Psalmum scripsit, sed narraverunt per successores suos. Illud autem, *plantasti eos*, continet insignem metaphoram; significat enim ita constitutos et stabilitos fuisse in terra promissionis Hebræos, ut nonnisi difficulter expelli possent, quomodo ponuntur arbores in terra, quando plantantur, et firmiter radicantur, ut non facile avelli possint. Præterea quæ plantantur nec solum firma consistunt, sed etiam crescunt, et multiplicantur; quam metaphoram explicat clarius Psalmus LXXIX: « Plantasti radices ejus, et implevit terram: operuit montes umbra ejus, et arbuta ejus cedros Dei. »

4. NEC ENIM IN GLADIO SUO POSSEDERUNT TERRAM, ET BRACHIUM EORUM NON SALVAVIT EOS:

5. SED DEXTERA TUA, ET BRACHIUM TUUM, ET ILLUMINATIO VULTUS TUI, QUONIAM COMPLACUISTI IN EIS.

Probat quod dixit: « Manus tua disperdidit eos, » etc. Nam, inquit, « non in gladio suo possederunt terram, » id est, patres nostri, tempore Mosis et Josue, pugnaverunt quidem cum Chananæis: sed nisi adjutor et protector eorum tu fuisses, neque terram possederissent, neque evadere potuissent de manibus hostium suorum: ipsi enim pauciores erant, minus in bello exercitati, et pugnaturi erant adversus urbes munitissimas. Non igitur in gladio suo, id est, virtute armorum suorum possederunt terra » promissionis. « Neque brachium eorum salvavit eos, » id est, neque robur eorum tantum erat, ut in prælio captivitate, vel mortem evadere possent; « sed dextera tua, et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, » dedit eis terram possidendam, et salvavit eos a morte, vel captivitate, quando cum Chananæis pugnabant: et hoc ideo, « quia complacuisti in eis, » id est, non propter eorum virtutes, aut merita, sed quia tibi placuit eligere eos in populum tuum. Illud, *illuminatio vultus tui*, significat proprie *benignum aspectum*, sive gratiam et favorem, ut diximus in Psalmo superiori, vers. 3. Dicitur enim Deus *illuminare cultum super aliquem*, quando illum sereno vultu respicere dignatur, id est, cum ejus miseretur, eique gratiam suam impertit. Esse autem verissimum, quæ hoc loco dicuntur, perspicuum est ex libro Josue cap. vi, ubi legitur muros urbis Hierico ad solum clamorem filiorum Israel funditus corruisse, et ex capite x, ubi legitur, pugnante Josue, Deum immississe de celo lapides grandinis super hostes, et ait Scriptura: « Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio perusserant filii Israel. »

6. TU ES IPSE REX MEUS, ET DEUS MEUS QUI MANDAS SALUTES JACOB.

Exponit nunc admirationem suam populus

Dei, dicens : « Tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob, » id est, tu ipse, qui patres nostros adjuvabas et protegebas, quia Rex et Deus eorum eras, tu, inquam, « ipse es etiam Rex meus, et Deus meus; » et ille idem, « qui mandas salutes Jacob, » id est, qui consuevisti salvare populum tuum, qui a parente tuo nominatur Jacob. Hoc loco nonnulli volunt supervacaneum esse illud, *et*, cum dicitur, *et Deus meus*, et exponunt, *tu es Rex meus et Deus meus*. Ratio eorum est, quia illud, *et*, non habetur in textu hebraico. At Septuaginta Interpretes habent *et*, et sic legunt, et exponunt omnes veteres graeci et latini, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, et sensus est sublimior : nam significat Scriptura, Deum non solum esse regem populi sui, sed etiam Deum, id est, iudicem totius mundi, aeternum et omnipotentem, qui possit non solum protegere populum suum, quem regit, sed etiam punire omnes adversarios ejus. Itaque retinendum est illud, *et*; et credendum, vel exidisse ex hebraeo textu, vel Septuaginta seniores addidisse illud, ut declararent vocem *Deus* non esse vocativi casus, sed nominativi, et aliquid amplius eo nomine significari, quam nomine regis. Est etiam hoc loco observandum illud, *qui mandas salutes Jacob*, non significare, *qui mittis salutes*, sed *qui precipis*, sive *jubes* : vox enim hebraica et graeca hoc significant, et ex illis declaranda est ambiguitas vocis latinae. Itaque sensus est, « qui mandas, » id est, qui jubet et praecipis salvati populum tuum, id est, qui solo imperio et nutu potes, et soles salutem dare populo tuo, quasi dicat : « Tu es Rex meus, » sed non ut alii reges, qui bellando protegent; sed es etiam Deus, qui solo verbo, solo imperio, solo nutu vales salvare Jacob.

7. IN TE INIMICOS NOSTROS VENTILABIMUS CORNU, ET IN NOMINE TUO SPERNEMUS INSURGENTES IN NOBIS.

Ostendit nunc, non solum Deum esse eundem Deum, qui erat tempore patrum, sed etiam populum esse eundem, et eandem spem in Deo habere, quam patres habuerunt : hinc enim oritur admiratio, cur idem Deus cum eodem populo ita contrario modo se gerat, ut quem antea victorem nullo negotio faciebat, nunc vinci et debellari sinat. « In te, inquit, inimicos nostros ventilabimus cornu, » id est, nos quoque, si adjutor et protector noster fueris, inimicos nostros vincemus in te, id est, in tuo auxilio confidentes. « Et in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis, » id est, et invocato nomine tuo, non timebimus, nec magnificemus impetum hostium insurgentium in nos. Illud, *ventilabimus cornu*, est metaphorice, ducta similitudine a tauris, qui cornibus projiciunt in ventum et in auras quidquid illis obicitur. Nos, inquit, tua potentia freti, ea facilitate hostes nos-

tros abigemus et fundemus, qua solet ferocissimus laurus cornibus ventilare paleas.

8. NON ENIM IN ARCU MEO SPERABO, ET GLADIUS MEUS NON SALVABIT ME.

Pergit in demonstranda similitudine inter populum Dei presentem et antiquum. Sicut enim antiquus populus non in gladio suo possidebat terram, ita, inquit, « et ego populus tuus praesens non in arcu meo sperabo, » id est, non confidam in viribus et armis meis. « Et gladius meus non salvabit me, » id est, scio et confiteor, quod si salutem consequar, eam mihi non dabit gladius meus, sed auxilium tuum.

9. SALVASTI ENIM NOS DE AFFLIGENTIBUS NOS, ET ODIENTES NOS CONFUDISTI.

Declarat, quod dixit : « Gladius meus non salvabit me, » dicens : « Salvasti enim nos de affligentibus nos, » id est, confiteor salutem meam non a viribus meis pendere, quoniam quiescensque salvus factus sum a quacumque tribulatione, tu « salvasti nos ab affligentibus nos, » et tu es qui inimicos nostros, « qui nos oderant, et perdere cupiebant, » confudisti, « efficiens protectione tua, ut conatus eorum frustraretur, et ipsi confusi ab oppugnatione nostra recederent.

10. IN DEO LAUDABIMUR TOTA DIE, ET IN NOMINE TUO CONFITEBIMUR IN SAECULUM.

Concludit ex his, quae dixit, populum Dei, quiescensque liberabitur a tribulatione, id beneficium Deo acceptum relaturum, et gloriam omnem ipsi Deo daturum esse. « In Deo, inquit, laudabimur tota die, » id est, non in nobis, sed in Deo gloriamur omni tempore, quo de hostium manibus liberabimur : et in nomine Domini invocato, ipsi confitebimur laudem et gloriam usque in aeternum. Quibus verbis confirmat quod demonstrare volebat, populum esse eundem, qui antea fuerat, id est, confidentem in Dei auxilio, non in suis viribus, ut populus antiquus : non in viribus suis, sed in adjutorio Domini confidebat. Illud, *laudabimur*, phrasim est hebraica significans gloriari, non proprie laudari. Similis est phrasistica, quando dicimus : *Mi loda del tale*, et habetur haec phrasim in aliis locis multis, ut in *Psalm. xxxiii* : « In Domino laudabitur anima mea; » *Psalm. civ* : « Laudamini in nomine sancto ejus, » et alibi saepe. Illud autem, *et in nomine tuo confitebimur*, clarior est in hebraeo, et *nomini tuo confitebimur*. S. Augustinus hos versiculos, a septimo usque ad decimum, vult continere prophetiam future victoriae Christi et Christianorum, quando Ecclesia de omnibus hostibus triumphabit. Sed superior expositio, quae est Chrysostomi, videtur magis literalis : non enim hic loquitur Propheta, sed populus Dei, qui miratur se a Deo non juvari, cum sit idem populus cum eo, quem Deus tam manifeste auxilio suo protegebat. Sequitur igitur :

11. NUNC AUTEM REPULISTI, ET CONFUDISTI NOS; ET NON EGREDIERIS, DEUS, IN VIRTUTIBUS NOSTRIS.

Hic jam incipit admiratio et conquisitio miserabilis populi graviter afflicti ab inimicis. « Nunc autem, » id est, olim tanto favore nos prosequeraris, « nunc autem repulisti et confudisti nos; » nam et tempore Antiochi opprobrium erat vocari Judeum, et tempore tyrannorum infame erat Christianorum nomen, et videbantur fideles derelicti a Deo. « Et non egredieris, Deus, in virtutibus nostris, » id est, si velimus hostibus repugnare, qui nos affligunt, tu non egredieris nobiscum, ut olim egrediebaris, ut pro populo tuo pugnares. Per virtutes intelliguntur exercitus, ut clare habetur in hebraeo, *בְּצַבְאוֹתֵינוּ* *betsibothem* : sunt enim exercitus armati vires et robora populi; et virtus hoc loco non virtutem moralem, sed potentiam et robur significat. Porro tempore persecutorum tam Antiochi quam imperatorum gentilium, tanta erant debilitas in populo Dei, ut non audent ullo modo resistere; et ideo patiendo, et tolerando solum pugnant. Sed quamvis ab hoste visibili figerentur et cederent, tamen de hoste invisibili gloriosissime triumphabant : et quamvis in conspectu hominum derelicti viderentur a Deo, tamen in oculo maxima Dei gratia juvabantur. Sed hoc loco de eo tantum agitur, quod foris agebatur, et relinquuntur filiis Core intelligendum, quod agebatur in occulto.

12. AVERTISTI NOS RETRORSUM POST INIMICOS NOSTROS, ET QUI ODERUNT NOS, DIRIPIEBANT SIBI.

Pergit in explicanda persecutione. « Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, » id est, fecisti ut qui in primo loco eramus, jam in postremo essemus, et tanquam victi et captivi sequeremur inimicos nostros; et iidem inimici nostri, « qui nos odio habebant, » pro arbitrio suo, et nos et nostra « diripiabant, sibi, » id est, in usum suum convertebant. S. Hieronymus ex hebraeo reddidit, *avertisti terga nostra hosti* : quem sensum verba hebraica facile admittunt, quae ad verbum sic sonant, *avertisti nos retrorsum ab inimicis nostris*; sed versio graeca et latina, quae habet, *post inimicos nostros*, non facile sensum illum ferre possunt : qui enim terga vertunt et fugiunt, non terga vertunt post inimicos, sed ante inimicos. Ideo sensum alium nos supra posuimus ex Chrysostomo et Augustino, neque repugnat nostra expositio verbis hebraicis; nam pro eo quod haberi diximus, *ab inimicis nostris*, potest etiam legi, *pra inimicis nostris*, ut legit S. Augustinus, et secundum eam lectionem optime constat explicatio, quam attulimus : sive enim legas, *avertisti nos retrorsum post inimicos nostros*, sive legas, *avertisti nos retrorsum pra inimicis nostris*, semper significatio nos redactos esse ad locum inferiorem et posterioriorem, et in hostium potestatem misere devotuisse.

13. DEDISTI NOS TANQUAM OVES ESCARUM, ET IN GENTIBUS DISPERSISTI NOS.

Mire describit martyria Sanctorum. « Dedisti inquit, nos tanquam oves escarum, » id est, permististi nos tam facile trucidari, et in tanta multitudine, ac si essemus oves destinatae ad macellum, quae in magna copia, et sine ulla resistuntia occiduntur : « Et in gentibus dispersisti nos, » id est, et eos ex nobis, quos occidere hostes noluerunt, permististi dispergi inter gentes. Ubi notatur exilia in loca remotissima, ad quae frequenter Sancti ablegabantur.

14. VENDIDISTI POPULUM TUUM SINE PRETIO, ET NON FUIT MULTITUDO IN COMMUTATIONIBUS EORUM.

Aliud supplicium describit, quo sancti martyres tanquam vilissima mancipia deputabantur ad secanda marmora, vel ad curandas bestias, vel ut in theatris laniarentur a feris, ut eo spectaculo oblectarentur spectantium oculi. « Vendidisti, inquit, populum tuum sine pretio, » id est, tradidisti populum tuum potestati inimicorum, et nihil pretii accepisti. « Et non fuit multitudo in commutationibus eorum, » id est, et cum hostes, quibus eos tradideras, vellent eos vendere in mancipia, et pro pecunia commutare, non fuit multitudo pecuniae in commutationibus eorum, id est, tanquam vilissima mancipia fere pro nihilo vendebantur, et ad opera abjectissima deputabantur. S. Augustinus legit : *Non fuit multitudo in jubilationibus eorum*, et exponit : non remanserunt nulli in Ecclesiis, qui Domino jubilarent in officis divinis celebrandis; sed codices graeci variant : emendatioribus autem habent, ut nos in Vulgata legimus, quae lectio concordat cum textu hebraico, et sic etiam legunt et exponunt Ambrosius, Hieronymus et Chrysostomus.

15. POSUISTI NOS OPPROBRIUM VICINIS NOSTRIS, SUBSANNATIONEM ET DERISUM HIS, QUI SUNT IN CIRCUITU NOSTRO.

Ad supplicia corporalia adjungit irrisiones et opprobria. « Posuisti, inquit, nos opprobrium vicinis nostris, » id est, ex eo quod permissione tua devenimus in calamitates, quas paulo ante descripsimus, inde factum est ut jam simus opprobrio vicinis nostris, et subsannemur, ac irideamur ab eisdem vicinis qui sunt in circuitu nostro.

16. POSUISTI NOS IN SIMILITUDINE GENTIBUS, COMMOTIONEM CAPITIS IN FOPILIS.

Per similitudinem intelligitur proverbium, sive parabola, ut clarus dicitur in *Psalm. lxxviii* : « Factus sum illis in parabolam. » Ait igitur, « Posuisti nos in similitudine gentibus, » id est, fecisti ut gentiles de nostra calamitate parabolam, sive proverbium sibi facerent, et cum vellent interloquendum exemplum proponere rei valde detestandae, nostram miseriam in medium adferrent.

Posuisti etiam nos « commotionem capitis in populis, » id est, fecisti ut populi gentium non solum irrisione verborum, sed etiam capitis agitatione nos detestarentur, vel irriderent.

17. TOTA DIE VERECUNDIA MEA CONTRA ME EST, ET CONFUSIO FACIEI MEÆ COOPERUIT ME.

18. A VOCE EXPROBRANTIS ET OBLOQUENTIS, A FACIE INIMICI ET PERSEQUENTIS.

Explicat effectum irrisionum, quia sine dubio ingens confusio et verecundia erat. « Tota die, inquit, verecundia mea contra me est, et confusio faciei meae cooperuit me, » id est, omni tempore hujus persecutionis verecundia mea in conspectu meo est, semper video confusionem meam, quae confusio faciei meae totum me quasi velo quodam operuit. Oritur autem hæc tota confusio « a voce exprobrantis et obloquentis, » id est, ab iis qui mihi exprobrant stultitiam, quod Crucifixum colam; exprobrant impietatem, quod Deos non venerer; exprobrant falsa crimina, infanticidia, incestus, et similia, et de his inter se obloquuntur. Explicat autem qui sint isti exprobrantes et obloquentes, cum addit: « A facie inimici et persequentis. » Sed videtur hæc verecundia et confusio non convenire sanctis martyribus, cum scriptum sit: « Qui eruberit me, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua et Patris, » Luc. ix. Et: « Qui me confessus fuerit, et Filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis, » Marc. viii. Ceterum Dominus non prohibet quomoumque verecundiam et confusionem, sed eam, quae impedit confessionem. Illi enim reprehenduntur, qui ab huiusmodi verecundia superati, Christum confiteri non audebant, vel etiam ad negandum adigebantur. Istos autem de quibus in hoc Psalmo agitur, non fuisse a verecundia victos, docent verba sequentia.

19. HEC OMNIA VENERUNT SUPER NOS, NEG OBLITI SUMUS TE; ET INIQUE NON EGIMUS IN TESTAMENTO TUO.

Post explicata beneficia Dei erga patres antiquos, et destitutionem ac derelictionem populi junioris, subjungit Propheta in persona ejusdem populi causam hujus desertionis non posse tribui peccatis suis: unde colligitur ratio admirationis et querimonis. Sic igitur loquitur: « Hec omnia venerunt super nos, » id est, has angustias et tribulationes passi sumus; et « amen » non oblitus sumus te, » id est, non dimisimus te, ut coleremus deos alienos: solet enim Scriptura conjungere oblivionem Dei cum idololatria. *Psalm. cv:* « Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum, oblitus sunt Deum, qui salvavit eos. *Et Deuter. xxxii:* « Immolaverunt daemionibus, et non Deo: Deum qui te genuit dereliquisti, et oblitus es Domini creatoris tui. » Et in hoc ipso Psalmo: « Si oblitus sumus nomen

Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum. » Isti igitur affirmant se non coluisse deos alienos; ideo aiunt: « Oblitus non sumus te, et inique non egimus in testamento tuo, » id est, non solum non adhesimus diis alienis, obliviscentes te Deum verum; sed neque iniquitatem fecimus contra pactum, quod pepigitur tecum in Sina, ut servarem legem tuam; nam testamentum hoc loco, ut est clarum in hebreo בְּרִית *berith*, pactum significat. Itaque protestantur se Deum non reliquisse, neque in legem ejus peccasse.

20. ET NON RECESSIT RETRO COR NOSTRUM, ET DECLINASTI SEMITAS NOSTRAS A VIA TUA.

Idem repetunt aliis verbis, ut magis innocentiam suam declarent. *Et non recessit retro cor nostrum*, idem est quod, *oblitus non sumus te*, id est, cum tecum ambularem, ex corde adherentes tibi, non recessimus retro, neque te deservimus. Illud autem, *et declinasti semitas nostras a via tua*, requirit repetitionem præcedentis negationis, ut sensus sit: « Non recessit retro cor nostrum, et non declinasti semitas nostras a via tua, » id est, non permisisti ut gressus nostri declinarent a via tua, id est a lege tua, quod est idem cum illo, « et inique non egimus in testamento tuo. » S. Hieronymus clarissime veritatem ex hebreo, et non declinaverunt semitas nostras a via tua; quavis enim in hebreo non habeatur negatio, et verbum *declinasti* sit in secunda persona singulari, tamen voluit S. Hieronymus sententiam reddere, non verba. Alii quoque Interpretes, ut notat S. Joannes Chrysostomus, addiderunt negationem. Septuaginta Interpretes, quos sequitur editio Vulgata, non posuerunt in textu suo negationem, quia non invenerunt in originali, sed tamen ea subintelligenda est, ut in multis aliis locis. Quod si quis omnino velit affirmative exponere illud, et *declinasti semitas nostras a via tua*, poterit per vitam Domini, intelligere viam misericordiae et gratiae; nam « universe viae Domini misericordia et veritas, » *Psalm. xxiv*, ait idem Propheta. Itaque sensus erit: declinasti semitas nostras a via misericordiae tuae, a favore, a gratia, ab auxilio tuo in tribulationibus nostris; cum qua expositione satis conveniunt quae sequuntur.

21. QUONIAM HUMILIASTI NOS IN LOCO AFFLICTIONIS, ET COOPERUIT NOS UMBRA MORTIS.

Si sequamur posteriorem expositionem versiculi superioris, versiculus praesens declarabit quomodo declinaverit Deus semitas populi sui a via sua, quoniam videlicet, « humiliavit eum in loco afflictionis; » si vero sequamur priorem expositionem, particula *quoniam* vel redundabit, ut non semel in Scriptura sacra redundat, vel reddet causam sententiae sequentis, non precedentis, hoc modo: « Quoniam humiliasti nos

in loco afflictionis, ideo et cooperuit nos umbra mortis. » Porro humiliare aliquem in loco afflictionis, est deiecere illum in profundum miseriae; ponitur enim *in loco*, pro *in locum*. S. Hieronymus veritatem ex hebreo, *in locum draconum*. Et vere vox דַּרְוֹן, quae est in textu hebraico, *dracones* significat. Sed videntur Septuaginta sensum veritatis, non verbum. Loca enim draconum sunt loca cavernosa, deserto, torrentia, ac per hoc loca afflictionis; et quoniam loca afflictionis obscura sunt et tenebrosa, ut cavernae, pulci, telri carceres, ideo addit: « Et cooperuit nos umbra mortis, » id est, operuerunt nos tenebrae, et ingens obscuritas. Quae omnia, metaphore sunt, quibus tribulationis et persecutionis magnitudo significatur; vocabulum *umbra mortis* frequentissimum est in Scripturis utriusque Testamenti, et ut plurimum conjungitur cum vocabulo *tenebrarum*, ut est videre *Job. iii*, *Psalm. lxxxvii* et *cvi*, *Isai. ix*, *Math. iv*, *Luc. i*, et nihil aliud significat, nisi magnam obscuritatem. Dicitur autem obscuritas umbra mortis, quoniam in morte extinguatur vita, quae est quasi lumen quoddam, unde extincta vita solum tenebrae relinquuntur. S. Augustinus dicit mortalitatem esse umbram mortis, id est imaginem mortis; mortem autem veram esse damnationem cum diabolo, quae dicitur mors aeterna.

22. SI OBLITI SUMUS NOMEN DEI NOSTRI, ET SI EXPANDIMUS MANUS NOSTRAS AD DEUM ALIENUM.

23. NONNE DEUS REQUIRET ISTA? IPSE ENIM NOVIT ABSCONDITA CORDIS.

Probat, qui in hoc Psalmo loquuntur, testimonio Dei, se revera non esse oblitos Domini, ut supra dixerunt. Dicunt enim: « Si oblitus sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad deum alienum » deprecandum, « nonne Deus requirit ista, » quasi dicant: Certe requirit, et inveniet an ita sit. « Ipse enim novit abscondita cordis. » Sed profecto inveniet, nos oblitos non esse nomen ipsius.

24. QUONIAM PROPTER TE MORTIFICAMUR TOTA DIE, ESTIMATI SUMUS Sicut OVES OCCISIONIS.

25. EXURGE, QUARE OBDORMIS, DOMINE? EXURGE, ET NE REPELLAS IN FINEM.

Concludit populus Dei petens a Deo finem persecutionis. « Quoniam, inquit, propter mortificationem tota die, » id est, quoniam propter confessionem nominis tui quotidie morti tradimur, multi quotidie occiduntur ex nobis, « aestimati sumus sicut oves occisionis, » id est, similes facti sumus ovibus destinatis ad mactationem, quae sine resistencia, vel misericordia jugulantur. « Exurge, quare obdormis, Domine? » id est, cum causa tua hic agatur, et servi tui tanta patientur, cur tu siles, quasi dormiens non adverteres? « Exurge » a somno, id est, fac quod illi faciunt, qui surgunt a somno, et incipiunt videre, quod antea non vi-

debant. « Exurge in auxilium nostrum, et ne repellas nos » ab adiutorio tuo « in finem, » id est, usque ad consummationem, finitur tandem te opem ferente persecutio. Hunc locum adduxit Apostolus *ad Rom. viii:* « Quis, inquit, nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis. »

26. QUARE FACIEM TUAM AVERTIS, OBLIVISCERAM INOPIE NOSTRAE ET TRIBULATIONIS NOSTRAE?

Pergit in eadem oratione, et utitur duabus aliis metaphoris: nam in versu superiore sumpsit similitudinem a somno, nunc sumit ab aversione faciei, et ab oblivione, quorum neutrum cadit in Deum. Dicitur tamen Deus avertere faciem, quando non juvat, quasi non videret miseriam nostram; et dicitur etiam oblivisci, quando non succurrit egentibus auxilio, et tribulatis, quasi esset oblitus eorum.

27. QUONIAM HUMILIATA EST IN FULVERE ANIMA NOSTRA, CONGLUTINATUS EST IN TERRA VENTER NOSTER.

In eadem oratione persistens, et sciens, orationem humiliantis se gratissimum esse Deo, dicit se humiliatum usque ad summum, ut magis humiliari non possit. Qui enim stans orat, potest humiliari flectendo genua; et qui genuis flexis orat, potest adhuc humiliari prosternendo se totum ad terram; sed qui humi prostratus orat, non habet, quo descendat, ut magis humilietur. Porro humiliari potest homo corde et corpore usque ad terram: corde, si vere cogitet, et intelligat, et fateatur se pulverem esse, quomodo orabat Abraham, cum diceret: « Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis, » *Gen. xviii*; corpore usque, si ad terram prostratus orat, quod de Christo Domino referunt Matthaeus cap. *xxvi*, et Marcus cap. *xiv:* « Procidit, inquam, in faciem super terram, dicens, » etc. Neque obstat quod Lucas cap. *xxii*, dicat: « Positis genuibus oravit: » nam positis genuibus orare cepit, deinde procidit in terram. Utamque humilitatem praese ferunt, qui in hoc Psalmo dicunt: « Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster, » id est, cognoscimus nos pulverem esse, et vere adhaesit in terra venter noster, dum corpore prostrati oramus te. Possunt etiam haec omnia referri ad magnitudinem persecutionis, per quam quomodo redacti erant ad extremam et summam ignominiam, et contemptum.

28. EXURGE, DOMINE, ADJUVA NOS, ET REDIME NOS PROPTER NOMEN TUUM.

Addit ultimam et efficacissimam rationem; cur Deus moveri debeat ad misericordiam erga populum suum, ne videlicet blasphemetur am-

